Crac. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Phil. ord.
1667 die 2 Aprilis

Przeclawski Ioannis Matth: Arae perennes laureato honori VV. XV primae laureae Candidatorum erectae.

ARÆ PERENNES

Laureato Honori VV. XV. Primæ Laureæ Candidatorum

DVM PER

Clarissimum & Excellentissimum Dominum

M. FRANCISCVM PRZEWOSKI.

Collegam Maiorem, Regium Professorem

IN

Nobilissimâ Illustrium Hospitum Coronâ Artium & Philosophiæ Baccalaurei

RITV SOLENNI RENVNTIARENTVR

Amoris & gratulationis ergoà IOANNE MATTH: PRZECZIAWSKI eiusdem Laureæ Candidato

ERECTÆ.

Anno Salutis Humanæ 1667. Die 2. Aprilis.

CRACOVIÆ, *Apud Heredes & Successores Lucæ Kupiß, S. R. M. Typ.*

IN

Gentilitium Stemma Nobilissimæ Domûs RVPNIOVIANÆ.



Aurea Pactoli riguoq; corusca metallo
Quæ stupuit quondam flumina, priscus honos,
Sarmaticis iterum renouat felicius oris,
SRZENIAVIIS veniens nobile flumen aquis:
Desiit auratis ferri Pactolus arenis,
Vanaq; conficto littore gaza perit.
RVPNIOVIVS Patriæ nunquam cessabit in vsus
Amnis, in egregiis aureus esse Viris.

Illustri ac Magnifico Domino,

D. CHRISTOPHORO MICHAELI RVPNIOWSKI,

Tribuno Cracouiensi, Lelouiensi, &c. Capitaneo, Domino & Patrono meo colendissimo.

ETsi minores Laureati Honoris Aras, ad splendidissimum Magni Sanguinis Tui decus consistere, erigiq; minus deceat; neq; tot meritis præclareq; factis celeberrimo Nomini Tuo, ad seræ posteritatis memoriam & Venerationem cum cura dicendo, Locus hic aut occasio ex Voto publico seruiat: nihilominus tamen deuoti animi feruens desiderium excitat calamum, vt concessa Sacris ritibus marmora, ad Tuæ Domûs primum Lumen primamq; sistat Pyramidem. Aras daturus Templum requiro; nec tamen inuentum audeo ingredi, vel solâ immortalis gloriæ Maiorum Tuorum, Tuæq; Virtutis veneratione contentus. Diuturna nimirum ab omni æuo meritorum Sanguinis Tui constansq; ad hæc vsq; tempora Celebritas; atq; Sacrum illud Magni Pectoris Tui Oraculum, insigni prudentiæ maturoq; iudicio destinatum, eam mihi venerationem incutere videtur: vt planè sufficiat mihi si in vestibulo Gloriæ Tuæ consistens, cultum meum à longè ad Aras Honoris Tui deponam. Et priscis quidem mihi ritibus insistere, vsitato antiquitatis more, Virisq; sapientibus nunquàm non laudatissimo placuit: non quod vana illa Numinum simulachrisq; suis infirmiora veteris æui deliramenta, pretij alicuius, aut nominis apud me sint; sed quod ex vmbrâ illâ ritûs antiquissimi sapientiæ lucem emicare interdum, & in publicum posterioru æui commodum erumpere videamus. Aras ætas illa falsis quidem posuisse Dijs, Virtutes nihilominus & egregia facta in illis honorásse visa est, perpetuo apud barbaras etiamgentes Virtutis encomio, cui vt immortalitas dotalis est, ita & honores nullo mortali termino circumscripti. Laureatum ego quoq; Honorem Virtuti & Eruditioni publicè datum; in Ara Poëseos meæ luci publicæ, perennisq; memoriæ dicaui, incitamento nimirum Magnarum Mentium; vt, per asperrimos Virtutis & Sapientiæ labores, ad vsq; sacrarium magni honoris, Arasq; immortalis gloriæ, indefessâ sedulitate contendant. Nec verò augustior mihi & illustrior locus in quo ad secuturæ posteri-

posteritatis venerationem Aræ perennes consisterent, quàm Nobilissimæ Domûs Tuæ tot Heroicis factis Virisq́; conspicuæ, venerabile Sacrarium visum est. Erexit illud consueta illa Magnis stirpibus, in propagando bono publico belli paciśq́; temporibus dexteritas: illa in Reges Sarmatiæ fides: ille in Patriam effusus amor: illa contra hostes Heroici animi magnitudo: illa erga ciues & amicos humanissimæ vicinitatis & consortij amabilis consensio, Et hæc quidem vetustissimi splendoris meritorumq́; deriuata in Te gloria: cui Tu Illustris & Magnifice Domine tantum & tam insignem ex Te ipso splendorem addidisti; vt suffecisset vel vnica præclare factorum Tuorum ad commendationem nobilissimi Sanguinis Tui maiestas & auctoritas. Æstimauit semper prudentissimi Pectoris Tui, sacrum illud Magni Consilij Promptuarium Resp: nostra; quæ Te maximis negotijs ex voto publico perficiendis, parem semper & censuit, & inuenit: ita vt ad quoscunq́; deinceps muneris & honoris publici gradus, per tot ingentium negotiorum curas, per tot difficillimi temporis ardua molimina, per tot deniq́; consumati iudicij spectata in omni consessu indicia, summè idoneum Te probauerit, iamq́; spe haud dubiâ, assurrecturæ in dies maioris GloriæTuæ, auguria sanè felicissima concipiat. Permitte igitur Illustris ac Magnifice Domine Aras has, ne temporum antiquitate obliterentur, Tuum benignæ manûs contactum feliciter sortiri; hoc vnico monitus, quia & quæ sparguntur in omnes, in Te vnita splendidissimè enitescunt; & quæ diuisa beatos efficiunt, collecta tenebis. Et quamuis non eius sint honoris, vt sub Illustri Nomine Tuo in theatro lucis publicæ comparere possint; Tua tamen laus quâ vbiq́; splendes, vbi illas recipere patieris, & pretium illis afferet, & lucem meliorem aggregabit. Nunc quousq́; Heroicarum Domûs Tuæ Vrtutum stemma fluuius curret, hucusq́; vt felix viuas opto.

Illustris & Magnificæ Dominationis Tuæ
humillimis obsequijs deuotissimus
IOANNES MATTHIAS PRZECZLAWSKI.

ARÆ THYMIAMATIS
Virgini Deiparæ
MARIÆ
ALTARE VOTIVVM.

CAcuminoſâ te Cracidum Parens
Cinctam coronâ concino, Lechici
Columna Sceptri, quæ reſurgis,
Sarmaticis celebris triumphis.
Pro bellicoſi finibus Imperî,
Et pro decoris maxima Laureis,
Stes VIRGO cultu Martiali,
Lechiadum reparando vitam:
Quæ Laureatæ Gentis adoreâ,
Cultuq; ſplendes purpureo Themis,
Orâcla Diuorum ſacraſq;
Cælituum reſerando gazas.
Manere Myſtas, quos labor optimus,
Deo ſacratis fecerat actibus,
Permitte, cædes quos Gelonum
Terruerat metuenda Lechis.

Pressis Mineruæ robora brachijs,
Viresq; sacris subdere ritibus
Fac Diua florentem iuuentam
Et Patrias coluisse Musas.
O VIRGO tales construe Sarmatis
Regina muros! vnde perambules
Victrix, coronarumq; plena,
Odrysiæ metuenda Lunæ.
Ergo sacrato munere pulchrior,
Heu corruenti subijce Patriæ
Fortes lacertos, nixa magnis
Actibus, & meritis piorum,
Aramq; Phœbi, quam soboles tibi
Virgo fideli nunc posuit manu,
Gratante fac cernas ocello,
O Lechici Cynosura Regni.

ARA PIETATIS.

CLARISSIMIS AC EXCELLENTISSIMIS DOMINIS
D. MARTINO WINKLER,
Collegæ Maiori Tyliciano Eloquentiæ Professori, Philosophicæ Facultatis Decano.
D. FRANCISCO PRZEWOSKI,
Collegæ Maiori, Regio, Hebraicæque Linguæ Ordinario Professori.
VALENTINO IOANNI MAZVRKIEWICZ.
Collegæ Minori. Examinatoribus diligentissimis.

QVæ trucis nisu periêre brumæ
Laureæ, fusis niuibus rigentes,
Ætheris passu meliore vernans
Musa reduxit.

Iamq;

Iamq; per nostras pharetratus arces
Præses incedit Superûm, trabali
Fulgidus sceptro, radioq; buxum
Percutit acri.

Ritè dum sacris operamur Aris,
Flectit expôsto numerum cothurno,
Numen ex alto, pia Laureatæ
Sacra Mineruæ.

Nec tamen celso veniens Olympo,
Mitigat plenas celebris per Aras
Igne decusso, Superis perenni
Sorte Promethêi.

Aduocat certam super eruditos
Regulam, suadâ citharâq; doctos,
Ac super fessos Charitum Ministros
Iura resoluit.

Te perorantem grauibus Magistrum
VINKLER exedris statuit potentem
Suada Tylici, nitet vnde claris
Gloria rostris.

Et Iagellonæ bona pars Stagiræ
Præsto PRZEWOSKI Columen Senatûs
Grande Cyrrhai venerandus Aris
Sis, age nostris.

Præsides nostros Sapientiæq;
Vos iubar dicam, quod ab eruditâ
Luce promanat, niueoq; Vobis
Pectore fulget.

Sic MASVRKOWI tua literata
Gloria lampas micat, & modesti

Pectoris

Pectoris virtus, cal amoq; parta
Gloria docto.
Ergò pro Vestris meritis fideq;
Ara debetur Pietatis, in qua
Viuet æternum pretiosa Vestræ
Victima Laudis.

CLARISSIMO AC EXCELL: DOMINO
D. FRANCISCO PRZEWOSKI Col. Maiori, Regio, Hebraicæq; Linguæ Ord: Professori, PROMOTORI dignissimo itidem datur

ARA MAXIMA HERCVLIS

Fuit hæc in Capitolij faucibus iuxta Carmentalem Portam, in quâ Prætor & qui alius sacra faciebat sola nonnisi Lauro coronabatur: seruiat illi.

Lem: Laurus Dilecta Camenis

CÆleste pondus, monstraq; fortibus
Tulisse quondam fertur in arduo
Orbis theatro, qui lacertis
Victor ouans celebrisq; magni
Heros triumphi, iam tibi Laureas
Submittit, inter publica maximi
Theatra per Lechos Lycæi,
Magnanimi spoliis Leonis
Clarus per orbem maximus Hercules

Aramq;

Aramq́; ponit nominis inclyti:
Honoris in qua laureati
Surgit opus, meritusq́; splendor.
Nam per cathedras Herculeus labor,
Et mille curis fætus, & arduis
Stoæ togatorum cothurnis,
Summa tibi probat eruditæ
Momenta laudis: nullaq́; candidum
Pectus fatigat, vis studii, neq́;
Prægrande culmen literati
Verticis ingenio subactum.
Hinc ARA, nomen quæ tulit HERCVLIS
Tibi sacratur: quod manibus tuis
Frontes coronatas referre
Iam liceat, viridesq́; Laurus.
Æterna nostri gratia pectoris
Iam te sequatur, laurigeris tuum
Viuatq́; nomen in Corymbis
Luxq́; decusq́; Sophûm PRZEWOSKI.

II. V. D. IACOBO KOZLOWSKI
ARA ISIDIS

Sacerdotib⁹ Ægiptijs celeberrima ab hac Phil: vocãtur ISIACI, ex quo patet quod Philosopho conueniat: A cuius magnitudine quam adsignificat tale addditur

Lem: Mole tenet, Virg.

Virtutis ingens gloria, in arduis
Molem laborum non refugis, procul
Ignaua pectorum repellens
Monstra animi, facilesq; curas.
Felice nisu ter geminos licet
Prosternat hostes, Herculea manûs
Trophaa ponens & per orbem
Grande ferens spolium leonis.
Non mille curis, milleq; fluctibus
Lernaq; casu, & Nubigenûm nece
Vnquam fatigatur; sed alto
Cuncta gerit superatq; nisu.
Virtutis istud symbolon est tua,
IACOBE gentis Gloria Roxica
Germenq; praclarum Leonis
Et Patrii decus omne Phœbi.
Te pulchra cingit fama scientia,
Pectusq; doctum, suadaq; dulcior,
Morumq; cultus suauiorum,
Et placidus sine nube vultus.
Nec vlla moles feta laboribus,
Fidele pectus terret, in arduum
Prodire Virtutis cacumen
Dum satagis, meritosq; prensas
Laurûs honores: quos tibi plausibus
Et mille votis gratulor: vt tuo
Surgas coronatus Leoni,
Sisq; tuis iubar eruditum.

III. V. D. FRANCISCO SOCHANSKI
ARA IOVIS.

Erat Phidiæ opus cornibus extructum inter septem orbis miracula connumeratum. ex proprietatibus itaq; eius ponitur

Lem; Sublimis odor in aris. Virg.

FAma quæ sacris tibi surgit aris,
Docte SOCHANSKI Iouis, ampliorem
Fert tibi cultum super eruditæ
Mentis honore.
Illa rerrarum celebrata toto
Orbe Diuinos manuum labores
Fhidiæ, pulchro radiare fecit
Artis in vsu.
At tibi Pallas decus eruditum
Ponit, & frontis niueæ coronam:
Quæ tibi circum caput explicatâ
Fronde pererrat.
Hinc odoratæ tibi surget ingens
Fama Virtutis, sapientiæq;
Plena dulcedo, meliorq; doctæ
Cura palæstræ.
Inde iam suadâ cupidus Pericles:
Iam cathedrarum celebris propago:
Iam reductarum Charitumq; cultor
Nobilis audis.
Gratior Musis veniens ad aras,
Quando Phœbeus reuirescet in te
Flos coronarum, quibus ipse frontem
Cynthius ornat.

IV. V. D. ALBERTO SZMONIEWSKI.

ARA APOLLINIS.

In Helicone monte Bœetiæ fixa teste Stoz Patr. ratione Auctoris cui sacra erat satis superq; celebrata, ipsiusq; loci amænitate literarum cultoribus grata.

Lem: Diuini Vates Heliconis, Calen:

TAndem SZMONIEWSKI cælesti sistit in arâ
Delius ingenium magnus honore tuum.
Et quamuis Themidis potior tibi cura sacrata,
Iustitiæ quamuis gratior ara tibi,
Te tamen & Musæ poscunt, & dulcis Apollo
Ad citharam vatem prouocat ipse suam.
Scilicet ingenij pulcherrima dos tibi fulget,
Quæ gratum doctis te facit esse Viris.
Hinc animi Vigor ille tui, moresq; venusti
Pectoris, hinc solidum robur & omne decus,
Vt quamcunq; tibi placeat componere vitam;
Vita coronato surgat honore tibi.
Iure proin viridem Phœbus tibi fronte coronam,
Atq; corymborum munera sacra dedit.
Vt sis & Themidis cultor dilectus & ipsis
Sis Musis posthac carior aoniis.

V. V. D. IOANNI BOCZYŁOWIC.

ARA CYBELES.

Matris Deorum In Idâ & Dyadimo Phrygiæ montibus erecta teste Val: Flac: & Stat: Lib. 5. Adsignificat ex Macrob. Sublimitatem quandam, puta Scientiæ.

Lem: Prænoscens omnia Sil: Lib: 9.

INter quos Pallas Virtutis fixit in alto
Culmine Boczyłowic

Te quoq;

Te quoq; concelebro, claris Heroibus & tu
Connumeratus esto.
Flammea te Superis Virtus, studiumq; fidele
Continuauit vltrò.
Ingenium sublime tenes productus in altum
Lauriferæ cohortis.
Ergo per egregia Phœbi præcinctus in arte
Laudis honore plenus,
Virtutis Patriæ vestigia pulchra subintra,
Et meliore passu,
Ad summum contende decus, laudumq; coronas,
Quas tibi Phœbus offert,
Fatidicum pectus solidæ Virtutis in vsum,
Ingeniiq; Lumen,
Ipse tibi vernante manu formabit Apollo,
Egregiamq; Musis
Donabit mentem splendor clarissimus, ex quâ
Et Patrius sequetur
Te Virtutis honos, quem tu viridante corymbo
Iam tibi dulce formas.

VI. V. D. IOANNI WISIONKA

ARA DAPHNES.

Apollini Sacrata Test: Mart: Lib: 11. Virginitatis Prototypon ex vi nominis & rei cognatione apropriatur, Hinc Lem: Seruit cui gloria Daphnes. Mart.

Felix qui meruit vigil
Lauri iura probis soluere ritibus.
Qui vitam peragit pijs
Intentam studijs, & cathedris Sophûm
Certo proximus hic gradu,
Victor Laurigeris surgit honoribus,
Mentem cum studio boni,
WISIONKA *Superis culminibus locat*

Phœbi digne fauoribus.
Leges Cecropiæ vel numeros Deæ
Pictis Schematibus dare.
Et dulcore potens flectere musteo, &
Magni nectare Tullij,
Mentes ingenuas imaq; pectorum.
Ergo tot celebris boni
Felix ingenij, dotibus emica.
Tunc te iure poposcerit
Insignis proprium stemma Matheseos
Cui sæclis redeuntibus,
Daphnis doctiloquæ gloria seruiat,
Sacris florida Laureis,
Et dum sidereis tu vigil orbibus
Immensum iubar explicas,
Et dum per numeros perq; reconditas
Artes ingenium expedis,
Et pulchris faueant sidera vultibus,
Et vitæ numerus tibi
Non cesset Pyliis crescere sæculis.

VII. V. D. ALBERTO SKOMOROWICZ.

ARA PROSERPINÆ.

Hecatombe seu centum victimis famosa Poëtis ara Test: Virg. & Ouid.

Lem: Minor ara profundæ Deoidos Stat.

SVnt Cereri sua Sacra Deæ, sunt inclyta regna
Littore Siciliæ cum celebratur ouans.
Sunt tædæ accensæ thalamo, nexuq; Tonantis
Summi famosæ, dum veneranda subit
Trinacreâ tamen inde Deâ nil carius illi
Ad Phlegetonteæ limina cæca Deæ,
Tantus amor Stygiæ Deoidos inde puellæ
Enneæq; sinus semper & vsq; petit.
At tu Musarum SKOMOROVI summa voluptas
A teneris Phœbo carus amansq; sophûm

Cracica

Cracica te Pallas nutriuit & ardua fecit
Scandere Virtutis culmina flore nouo.
Os quoq; flexanimo voluit torrente diſertum,
Tullius eloquio poſſe rigare ſuo.
Hinc tibi dicendi ſublimis gratia, totq;
Ingenii ſplendent maxima dona tui.
Hæc tibi ſucreſcent olim referentq; laborem
Præmia, quæ doctis ſunt pretioſa viris
Indolis eregiæ ſtimulis agitata ſecundos
Mens tua ſucceſſus & ſua vota feret.
Hoc de te Muſæ dulcis quoq; ſpondet Apollo:
Hoc ſperant citharæ Theſpia ſiſtra meæ.
Ponè coronati cultiſſima dona laboris
Proſpera virtutem cuncta manere tuam.

VIII. V. D. ALBERTO WITKOWSKI.

ARA GANYMEDIS

Troianis in Idâ monte erecta teſt: Bapt: Pio. Eſt typus officioſæ cuiuſdam ſinceritatis. vt placet Ouid. Faſt. 2.

Lem: Nitet aureus Pont.

Lux candidati ſplendidior chori
ALBERTE, morum quem grauitas decet,
Et frontis admodum decora
Cecropiâq; fidelis arte.
O cura Vatum, cultor & artium,
Pubiſq; doctæ fax generoſior!
Prodi, minaces iam procellas
Nil metuens, validoſq; fluctus.
Hinc inde fatis haud penetrabile
Nomen reportans, fortis in arduum
Excurre. temporum tuorum
Sacula Neſtorea additurus

Te ſuada

Te suada crebo nectare turgida,
Et Sanctiori fonte Heliconidum
Ducem salutet, castioris
Temperie ingenii decorâ.
Iam vota Patrum cerne precantium:
Iam vincta Lauru colla sodalium
Aduerte, Musarum eminenti
Par oneri sociusq; voti.
Iam literatis consona laudibus
Surget Camœna, ac gesta adamantino
Stylo per orbem connotabunt
Fata tibi, facilesq; diui.

IX. V. D. FLORIANO MACHOWICZ.

ARA CERERIS

In Templo Athenis constructa ad quam eam coli memorat Ouid, Lib. 10. Adsignificat pii cuiusdam candoris copiam,

Lem: Cererem comitatur Osiris.

QValis æstiuo radians Osiris
Sole Patmæos iaculando cantus
Adstat Enneæ soboles parentis
Sacra daturus.
Talis appares meliora cultu
MACHOWICZ, felix recreando Musas
Laude, qua nomen Ciceronis auges
Ore diserto.
Siue subtilis suada Anaximenis
Transeas ausus hominum retundens
Siue demulces faciles Venusto
Carmine mentes.

Te cohæ-

Te coheredes Cereris supernæ
Efferunt mentes, agili cothurno,
Nobilis quando modulante' flectis
Pectine Musas
Ara facundos Cereris labores,
Instruit gazis tibi destinatis:
Namq; facundo tibi suada cultu
Vernat in cre.
Hâc coronatus per amæna viues
Rostra facundo celebris triumpho.
Hac Pericleos imitando Vultus
Fulmina mittes.

X. V. D. SEBASTIANO BOGDANOWICZ

Notario Apostolico

ARA DIANÆ

In insulâ Delo Virg. teste Lib. 3. Georg. est. Adsignificat mentis puritatem. Vnde vocatur Dea triformis, teste Hor.

Lib. Lem: Dilectior arâ Dianæ Stroz. Fil.

INsignem celeri pede
Diuam, Virginei quæ canitur chori
Princeps mentis eburneæ.
Cui dos omnis adest castaq; puritas
Hanc diuam tibi Virginem
Consecrâsse licet, qui Themidem tibi
BOGDANOWIT amabilis
Caram percupido corde facis tuo
Dotes ingenii tui
Hoc poscunt celeres, propmtaq; gratia
Et quod iustitiæ soles
Et iuris studio cor sapiens dare
Dianam niueo proin
Expressisse animo iam liceat tibi:
Vt sis integer omnibus
Et promas solidum iustitiæ decus

C *Sic te glo-*

Sic te gloria Palladis,
Sic insigne decus nominis ambiet,
Sic lauru potior tuâ,
Viues continuis plenus honoribus.

XI. V. D. FRANCISCO GAWLIKOWICZ

ARA CIRRHÆ

Opidi in Phocide Apollini ſacra teſte Stat: Lib: 7. ob aduſtionem Solis cui expoſita, mentis ad Philoſophiam acris adſignificat ſymbolum.

Lem. Jntrauit in ardua Cirrhæ. Mant:

CIrrhea Sacri culmina verticis,
Te GAWLIKOWI munere Theſpio
Dudum repoſcunt, literati
Quæ ſequitur tua fama cultus.
Pectus modeſtum dotibus ingenî
Commendat in te ſuada diſertior,
Quæ ſolis inſtar fulguranti
Lampade per cathedras niteſcit;
Cirrhea vates culmina diligunt,
Vacantq; ſacris vndiq; ritibus,
Somnoſq; Phœbo dulciores
Culminibus reparant beatis.
Laborioſis ſed tibi paſſibus
Venit palæſtræ gloria Lechicæ,
Decusq; prenſas eruditum,
Quod vigiles meruêre curæ.
Sic nempè Virtus tendit in ardua,
Sic mille curis quæritur inclytus
Splendor Togatorum, truceſq;
Phœbigenum ueniunt labores.
Sudore partas ſic tibi Laureas
Et eruditæ munera gloriæ,
Virtus coronabit per altos
Teq; vehet bona fama cætûs

XII.

XII. V. D. IOANNI STOKOWIECKI.

ARA ADONIDIS.

In insulâ Cypro putatur erecta Ouid. & Stroz. Patr. Elegans typus & imago piæ cuiusdam in Parentes venerationis.

Lem. Exanimata fouens. Pont.

QVid mea Musa ciet? placidissima cura Thaliæ
STOKOWI Laurum te ingrediente meam.
Quid mea Musa ciet? Sinuata decemplice nodo,
Quando renidentis tu geris astra poli.
Hîc vbi delicias veris. florentibus hortis,
Hybleasq; tibi seruat Adonis opes.
Hîc vbi regifico vectat ratis æquore matrem,
Cum celeri natum præuolat ipsa gradu
Hîc tua laus pergit nullo captiua sepulchro.
Hâc regnante geres marmora Pasitheæ
Purior inde tamen tua tendet adorea cælo;
Accendes Aram si pietate tuâ.
Scilicet, Aoniæ celebratus carmine Diuæ,
Arcanos recrees Palladis igne sinus.
Vbera Craciacæ nam te suxisse Parentis
Lábraq; Palladio fonte rigasse tua
Cum grato teneas animo cultuq; fideli,
Hanc Matrem decet vt tu pietate colas,
Illa tibi sapidum doctrinæ nectar, & omnem
Ambrosiam dulcis fuderat eloquij.
Illa tibi tenero formauit pectore sacras
Musarum dotes, Pyeriumq; decus.
Illa tibi virides circumdat fronte corollas,
Et te laurigeris fascibus illa tegit.
Tu quoq; perpetui debebis muneris ergo
Omne decus grati cordis, & omne iubar.
Vt tibi nil nostrâ sit Pallade gratius vnquam,
Vnaq; sit cunctis carior illa tibi.

XIII. V. D. REMIGIO BLONSKI.

Ara in colnmna Iouis triphili.

Ex ſolido auro multo æuo vetuſta cum titulis rerum geſtarum, quam ipſum Iouem ſtatuiſse ferunt Alex. ab Alex.

Lem: Ne dubites Authore bono.

TE fulguranti poſcit in aureâ
Iouis columnâ, lumine Palladis
Honos coronatus, ſecundis
Quem decuit tibi ferre votis,
Pectus metallo nam ſolido tibi,
Auriq; venâ conſtat, & inclyto
Amore Muſarum, togatas
Quo licuit petiiſse laurus.
Fulget coruſcis aurea mens tibi
Ornata gazis, quas tibi doctior
Stagyra contulit, ſophûmq;
Per cathedras meriti labores.
Hinc eruditis tu pretioſior
Fulſiſſe roſtris viſus es, aureum
Cum culmen oris explicâſſes
Difficiles penetrando nexus.
Coronat ergo Pallas in aureo
Fulgore mentis te viridantibus
Quando corymbis: optat in te
Auricomos micuiſſe vultus.
Et literati munera pectoris
Traxiſſe, quæ tu ſæculo ab aureo
Blonski videris iamq; noſtris
Aureus eſſe velis Camænis.

XIV. V. D. IOANNI ADAMO WELNICKI.

ARA FAMÆ.

Athenis erecta cui additur

Lem: Famâ ſuper æthera notus.

Auſpi-

A Vſpiciis melior te poſcit fama ſecundis,
Araq; ſurgit orbi,
Quam celebres quondam coluiſſe feruntur Athenæ
Græcia cara Muſis.
Quam veteri poſuit Diuis ſapientia cultu:
Quod pretioſa cunctis
Fama ſit, ingenuiſq; animos quod ſola repoſcat
Nomina magna præſtans,
Non tamen hæc ſolida eſt, niſi cum virtute paratur
Ingenijq; donis;
Ex quibus æterno conſurgit gloria nexu
Veraq; fama viuit.
Hoc tibi WELNICKI *decus eſt virtute paratum*
Hæc tibi fama ſumma eſt.
Ingenij dotes Muſis Phœboq; dicare
Quod placuiſſet olim,
Perq; ſophûm cathedras per roſtraq; publica ſuadæ
Eloquio diſerto,
Quod tibi laudis opus placuiſſet, & inclyta Phœbi
Munera ferre paſſim.
Fama proinde tibi doctrinæ ſurgit ab vſu,
Eximiaſq; laudes,
Iam tibi laurigeris decernit honoribus, vt ſis
Laude tuâ beatus,
Et meritis felix & diues honoribus olim
Quod tibi Phœbus optat.

XV. V·D. GASIMIRO DRYIEWICZ.

ARA MAVSOLI.

Reges Cariæ ab Arthemiſia poſt obitum eius pretioſis lapidibus exſtructa operis amplitudine famoſa, de qua Plin: L. 36. cap. 5. & Herod. l. 7.

Lem: Ipſa ſibi Virtus pulcherrima merces.

IMmortale decus famaq; nominis,
Quam virtus meruit cum ſapientiâ
Æternum ſolidis viuit honoribus,
Et triſtes ſuperat rogos.

Aræ ſceptrigeris Nominibus datæ
Orbis quæ ſtupuit, priſcaq; gloria;
Virtutis fuerant inclyta munera
Sæclis fixa perennibus.
Hæc pulcherrima dos te ſequitur quoq;
Ad laudes DRYIEWICZ ingenii tui,
Lauru fatidicâ cingit Apollinis
Et teſtudinis aureæ
Donat iura tibi, plectraq; eburnea:
Nam Muſis genius Pierijs tuus
Olim complacuit, ſacraq; floridum
Vatem poſcit adorea.
Laurûs ergo tuæ tu melius tibi
Ornamenta canes, cui fluit aureo
Nectar mellifluum flumine totaq;
Cirrhæ gratia labitur.
Votis vota meis iam liceat tibi
Ad plectri numeros addere Delij,
Dum concludo tuis carmina laudibus,
Finem laus tua neſciat.

V. D. IOANNI MATTH: PRZECZLAWSKI.

Ejuſdem Laureæ Candidato amoris & gratulationis ergo Iacobus Marcus Kozłovvski offert, dicatq;

Aram Mineruæ.

Ad quam inter cætera quæ lex religionis dictat, hoc diligenter curabant, vt lychnos accenderent ſub dio circa ſcenas, & porticus extremas. vnde fiebat, vt per totam illam noctem, ſacro igne quaſi in meridie ſole illuſtraretnr, Cui additur

Lem: Craciæ lux clara Mineruæ.

Aras perennes priſcaq; Numinum
Auguſtioru munera ſæculi
Inter coronarum decoros
Cûi placuit poſuiſſe nexus,

Vatem

Vatem corymbis Ara perennibus,
Sacroq; lucis Palladiæ decet,
Ab igne splendescens togatæ
Primus honor & amor Mineruæ.

Hanc eminenti mole tibi sacram
Orbis theatro ponere Lechici
Iussêre Musæ, queîs eburno
Ad placitum cecinisse plectro

Vis illa mentis, flamine sub entheo,
Æstuq; vatum mota, per auios
Fecit Camænarum recessus
Emeritâ comitante lauru.

Aram Mineruæ cinit amabile
Lucus serenum. Te quoq; claritas
Honore PRZECZLAWSKI *togato*
Ambit & insequitur per altos

Sophûmq; cœtus, rostraq; Tullij,
Et illa suadæ copia melleæ
Morumq; dulcedo, probatis
Ingenij sociata donis.

Hinc æuiternis surgat honoribus
Ignesq; sacros Ara Tibi Deæ
Seruet Pelasgæ: sic per orbem
Fama sacris Tibi viuet Aris.

Jn Aram Vniuerſitatis Crucis formâ inſignitam.



Ara pijs deuota venit venerandaq; Muſis
Nam bene Palladiæ conuenit Ara Cruci.

Sub Felicibus Auſpiciis
Magnifici, Clariſsimi, & Excellentiſsimi
D. FRANCISCI ROLINSKI.
Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris ac Profeſsoris,
Conſulis Cracouienſis,
Studii Vniuerſitatis Almæ Academiæ Cracouienſis
GENERALIS RECTORIS
Vigilantiſſimi.